Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2087

Quelle:
Copyright:

negotium, et egregie puniantur, qui appellant incassum. De Legatis: *Exeunt et mittuntur de curia legati ad populum corrigendum et dogma fidei seminandum, sed, quia quod gratis acceperunt, gratis non impendunt, parum fructificant, aurum sitientes aurum bibunt, grauant ecclesias* &c. Hac occasione multa etiam vera de infelici successu *Cruciatarum.* Prolixe dein de vitiis Praelatorum. Inter alia: *Promouentur eorum consanguinei, beneficiis onerati, infames, illiterati, indigni et penuriam sustinent bene meriti literati — et tanta est horum consanguineorum cohærentia et connexio in Capitulis, quod propter eos vix potest bonum aliquod ordinari, et hæreditate possident sanctuarium Dei.* Ad *lamentandum* de *Sacerdotum Parochialium* defectibus *Jeremiae* ait *quadruplici Alphabeto* opus fore. Inter cetera eos culpat, quod Praedicatorum etiam ab Ordinariis missorum ora velint obstruere. Itaque non videtur *Richardo Armachano, Guilelmo a S. Amore* et aliis Mendicantium Ordinum Osoribus praelusisse. De Canonicis non lenius: *Ut liberius vacent voluptatibus suis, vanitatibus indulgeant, licentiam obtinent, vt ad scholas vadant, quos si studium frequentare contigerit, audiunt, vt in pluribus, leges ciuiles non theologicas lectiones — et iam coaxantes prodeunt ranæ, quæ turmatim ingerunt se in pharaonis cubiculum, per quos aguntur et diriguntur consilia prælatorum. — Si vero, quod absit, vineam domini Sabaoth aper exterminans singularis insurgeret, si vulpes paruulæ demolirentur vineas, si procederent fabricatores peruersorum dogmatum, veritatis et fidei subuersores, isti quomodo se opponerent, non apparet.* Multa quoque de Scholis querela: *Lapsa sunt in confusionem fere omnia studia litterarum, dum discipuli solis nouitatibus applaudunt, et Magistri potius invigilant gloriæ, quam doctrinæ* &c. Acre porro lixivium affunditur Coenobiticis institutis, quod a primaeva sua observantia defecerint; carpitur luxus Abbatum, exemtio, *rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreverentia circa altare,* prolixitas officii divini dimisso labore manuum a S. *Benedicto* praescripto. Monialibus plane illud *Threnor.* C. IV. v. 3. adplicatur. De Ordinibus Equestribus: *Dicunt se renunciasse in singulari volentes omnia retinere in generali, et cum in singulari sint regulares, in vniuersali seculares, quomodo in singulari saluari possunt, qui in generali pereunt?* Demum hinc ad Principes, Milites, Cives atque Agricolas transit graviter eos officii admonendo, et per omnia fidelem Seculi sui imaginem adumbrando, dum in his verbis desinat: *In his autem et in alijs, quæ sunt perfunctorie et quasi superliminariter tacta non potest sine summi pontificis prouidentia consilium et auxilium efficax adhiberi.*